

DE DITHYRAMBORUM GRAECORUM ARGUMENTIS.

Dithyrambicum hoc genus literarum etsi plurimos novissimo tempore nactum est cultores, qui aut reliquias labe affectas pristino nitore redderent aut obscuratam poëtarum memoriam renovarent aut maiori etiam conatu universam carminum historiam complecterentur, tamen e tanta studiorum concertatione non eosdem undique fructus perceperit. Ac de restituenda quidem genuina carminum forma ita meruerunt idque omnis de dithyrambo iudicii tanquam fundamentum ita posuerunt Theodorus Bergk¹⁾ et Augustus Meinekius, ut eius scripturae laudem fere omnem praeripuisse dicendi sint. Non desunt sane, quae etiam post illorum operas adiutricem critici manum expectent, sed ea leviora fere sunt, neque in ullis nisi in Melanippidis fragmentis graviora. Plura multo praestanda restant interpreti. Quamquam enim qui singularibus libris poëtarum vitam enarrarunt atque ingenium e carminibus delibatum descripserunt: quo in genere et diligentiam agnoscas Georgii Bipparti¹⁾ et Augusti Bergleini²⁾ elegantiam laudes: nonnihil lucis attulerunt historiae artificum, in ipsa tamen censenda arte, cum parum accuratam plerique animo informatam haberent dithyrambicae poësis notionem, a recta via saepius videntur aberrasse. Neque vero totam dithyrambici generis memoriam comprehendere qui praeter Graecarum literarum enarratores data opera conatus est I. A. Hartungius³⁾, rem ita omni ex parte administravit, ut in istis quasi initiis acquiesci posse videatur. Etsi enim nonnulla sagaciter perspexit, pleraque tamen attigit potius, quam excussit, neque pauca iudicandi scribendique properatione quadam infecit. Omnino autem, id quod et de hoc dicendum est et de aliis, in errores lapsi sunt propterea, quod de argumentis dithyramborum quaerere neglexerunt, cum tamen iis demum probabiliter constitutis fieri posse

¹⁾ Philoxeni, Timothei, Telestis reliqq. Lips. 1843.

²⁾ De Philoxeno Cytherio. Gotting. 1843.

³⁾ In Philologo 1846. p. 395 sqq. Repetita deinde eadem dissertatio est in Poët. lyr. Gr. Vol. IV. p. 196 sqq. Adde eiusdem operis Vol. VI. p. 251 sqq.

appareat, ut aut de poësi universa aut de singulis carminibus dithyrambicis paullo rectius iudicetur. Nam postquam Aemilii Luetckii⁴⁾ pro temporis ratione haud contemnendum obsolevit opusculum, unus tantum inventus est Mauricius Schmidtus, qui non declinata quaestionis eius difficultate de argumentis illis disserendum putaret eo in libro, cui nomen inscripsit *Diatribes*⁵⁾, exemplum scilicet aemulatus Casparis Valckenarii. Quamquam ea quidem vereor ne solum in titulum conclusa sit similitudo. Nam in libro ipso licet magna ex omni scriptorum genere materies comportata occurrat, neque pauca emergant haud mediocris doctrinae ingenique documenta, intemerata tamen antiquitatis auctoritas raro apparet, Valckenarianae autem disputandi rationis sanae illius et prudentis paucissima vestigia sunt. Imo praeiudicatis pleraque opinionibus aguntur, captantur remotissima quaeque et maxime abstrusa dummodo arbitrio semel adoptato congruentia cupidissime arripiuntur, aperta et simplicia cane peius et angue devitantur. Idque cum omnes fere Schmidtianae lucubrationis partes⁶⁾ arguant, tum nescio an illa maxime, quae est de argumentis dithyramborum, in qua regnat quodammodo coniectura, non solum civitate donata prodit. Cum enim fabulas dithyrambis subiectas ex suo ipsius ingenio refingere, quam e relictis carminum indiciis maluisset eruere, turbasse potius argumenta illa, quam disposuisse et illustrasse censendus est. Quod autem ipso in exordio tanquam totius quaestionis principium quoddam posuit vernorum hibernorumque dithyramborum discrimen pag. 205 sqq., idem primum praeposteræ eius, quam notavimus, rationis exemplum est. Postquam enim discrimen illud argumento quodam adornavit, quod quam fallax esset atque incertum, et ipse intellexit propemodum p. 205 et nos statim docebimus accuratius, nihilominus in tam lubrico fundamento universam suam de argumentis dithyramborum explicare doctrinam et utri quisque ascribendus esset generi, vernorumne an hibernorum, operose quaerere non dubitavit. Satis opinor id esse documenti ad degustandam rationem scriptoris: nunc rem ipsam examinemus.

Ut autem statim ab initio dicam, quid sentiam, commenticia omnis ista distinctio est, e nostrae potius illa, quam ex antiquae poësis indole derivata, nostrique quam Graecorum coeli rationibus accommodatior. Inventore scilicet utitur Ludolpho Dissenio, a quo cum aliquando aliud, opinor, agente strictim esset indicata⁷⁾, postea cum in aliorum libros irrepsit, tum in Schmidtii Diatriben transmigravit, adeoque plausum tulit eximii viri F. G. Schneidevini⁸⁾. Quemadmodum autem omni caret fide vetustatis,

⁴⁾ De Graecorum dithyrambis et poëtis dithyrambicis. Berol. 1829. p. 34. sqq.

⁵⁾ Diatribe in dithyrambum poëtarumque dithyrambicorum reliquias. Berol. 1845.

⁶⁾ Vid. THEOD. BERGKIUS in Diariis Antiquit.

1848. p. 437 sqq. coll. commentatione nostra de Melanippide. Part. I. p. 3—6.

⁷⁾ ad Fragm. Pind. p. 620.

⁸⁾ In censura libri Schmidtiani, Diariis novis Iensis inserta 1845. p. 1097b.

cuius de duplice illo carminum genere altum silentium est, ita ne Dionysiorum quidem, quo uno quasi argumento defendi solet, comparatione commendatur. Equidem enim hoc unum constare video, actos esse dithyrambos Dionysiis magnis sive urbanis, quae cum mense Attico Elaphebolione, qui nostro fere Martio congruit, celebrarentur⁹⁾, vere eoque ineunte choros cyclios adornatos fuisse apparet, non Lenaeis, non hieme. Certe ad verum hoc Dionysiorum tempus carmina Bacchica eorumque choreas uno omnes ore referunt poëtae atque scriptores. Quo e numero primus prodeat *Simonides* celeberrimo epigrammate, quod extat in Anthol. Palat. XIII, 28. = Fr. 150. p. 789. Bergk.:

Πολλάκι δὴ φιλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν Ὀραιοὶ
ἀνωλόλυσαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις
αἱ Διονυσιάδες,

in quo Ὀραιοὶ αἱ Διονυσιάδες ver significare vix est quod annotem, quemadmodum verbum ὄρας de vere usurpari vel ex Hymno illo Homefico, Isaaci Casauboni¹⁰⁾ sententia antiquissimo, XXV, 12:

δὸς δ' ἡμᾶς χαίροντας ἐς ὄρας αὐτίς ἰκέσθαι,

notissimum est.¹¹⁾ Dux autem Horarum etiam in opere quodam caelato apud Montefalconem I, 2, 175¹²⁾ expressus est Dionysus. Testis porro de eodem cantati dithyrambi tempore *Pindarus* egregio illo Bacchici carminis prooemio, quod totum est vernis rosarum violarumque perfusum odoribus ap. Dionysium De compos. verbb. cap. 22. p. 166. ed. Fr. Goeller = Fr. 46. p. 227. Bgk.:

ἐν Ἀργείᾳ Νεμίᾳ μάντιν οὐ λανθάνει
φοίνικος ἔρνος, ὅπότ' οἰχθέντος Ὀρῶν θαλάμου
εὐοδμον ἐπαῖωσιν ἔα ρ φητὰ νεκτάρεια.
τότε βάλλεται, τότε ἐπ' ἀμβρόταν χέρον ζεραταί
ἴων φάβαι, ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται,
ἀχεῖται τ' ὄμφαι μελέων σὺν ἀνλοῖς,
ἀγείται Σεμίλαν ἐλικάμπυκα χοροί.

Neque aliorum vocat *Aristophanes*, de Dionysi choris cycliis tibiisque dithyrambo accinentibus sic scribens in Nubibus γ. 309 seqq.:

ἦρι τ' ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις,
εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα,
καὶ Μοῦσα βαρύβρομος ἀνλῶν.

⁹⁾ vid. A. BOECKH. Oec. civ. Athen. II, p. 18. ed. sec. et in Act. Acad. Boruss. a. 1816. p. 87 sqq.

¹⁰⁾ De Satyr. Graec. poës. pag. 26.

¹¹⁾ Cf. Hesiod. OO. et DD. 74 sqq.:

ἀμφὶ δὲ τήγης

Ὀραιοὶ καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν σταμνοῖσι.

Adde Pindari locum statim afferendum.

¹²⁾ Mus. Napol. II, 24. Indicavit F. TH. WELCKERUS Addit. Franc. ad M. 1826. p. 188. not. 15.

Quem ad locum opportune animadvertit Scholiasta p. 97a, 4 sqq. ed. Fr. Duebn.: τὴν παροῦσαν ἑορτὴν λέγει, τουτέστι τὰ Διονύσια. ἀρχομένου γὰρ τοῦ ἤρος, ἀρχεται καὶ ἡ πανήγυρις, et paullo post 11 seq.: τοῖς γὰρ Διονυσίοις κυκλίους χορούς ἴστασαν. Itaque verna illa Bacchi solemnia, quibus et choros cyclios saltasse Comicus scribit ceterique poëtae, disertis Scholiastae verbis appellantur Dionysia: quo eum nomine secundum vulgarem dicendi consuetudinem, quam attigit L. Prellerus¹³⁾, τὰ μεγάλα sive τὰ ἐν ἄστει Διονύσια significare voluisse et ex ipso¹⁴⁾ intellegitur et aliunde patescet. Confirmant poëtarum testimonia oratores, in iisque cum *Aeschines*, qui eodem, quo Scholiasta sensu Dionysia posuit adv. Ctesiph. 232 OO. AA. ed. I. Bekk. Tom. III. p. 462.: καὶ τοὺς μὲν κοινὰς τοὺς ἐκ Διονυσίων, ἐὰν μὴ δικαίως τοὺς κυκλίους χορούς κρίνωσι, ζημιούετε, tum vel maxime *Demosthenes* adv. Mid. OO. AA. Tom. IV. p. 465 sq. ΝΟΜΟΣ. *Εὐήγορος* εἶπεν, ὅταν ἡ πομπὴ ἢ τῷ Διονυσίῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ ἡ ἐπὶ Ἀγναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί, καὶ τοὺς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἢ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοὶ — μὴ ἐξῆναι μήτε ἐνεχυράσαι μήτε λαμβάνειν ἕτερον ἐξέρου κτέ. Nam qui ex Euegori lege Dionysiis magnis ascribuntur παῖδες, chori puerorum cyclii sunt. Succurrunt antiquae aemuli eruditionis sophistae recentiores, veluti duo Atheniensibus carmina eaque, A. Boeckhio ad Pind. Fragm. p. 575. interprete, haud dubie dithyrambica, Pindarum Dionysiis fecisse narrat *Himerius* orat. XI. extr. Neque aliorum choros dithyrambicos deducit *Libanius* ad Demosthenis Midianam, a quo non multum discedit qui alterum eiusdem orationis argumentum conscripsit ap. Bekkerum pag. 460, 27 seqq.: τὰ δὲ μεγάλα (Διονύσια), — ἐν οἷς προεβάλλετο χορηγὸς ἀφ' ἐκάστης φυλῆς πρὸς τὸ τρέφειν χορούς παίδων τε καὶ ἀνδρῶν, nisi quod ea Dionysia imperitius διὰ τριετηρίδος acta dicit, refutante M. H. E. Meiero in Diarr. Liter. Halens. a. 1836. m. Iul. p. 319. Postremo ad *Enarratoris* Aristophanei mentionem supra collocatam alter ex eodem accedat locus isque levi medela sanandus, ad Avium v. 1404. p. 241a, 48 sq.: ἐκάστη γὰρ φυλὴ Διονυσίοις τρέφει διθυραμβοποιόν. Ita enim pro Διονύσου, quod nihili est, scribendum esse et recte indicavit Godofredus Bernhardus HGL. II. p. 445/547, et haec nostra disputatio evincit. Denique, ne ex recensu nostro ab Horis praesertim profecto exulent Gratiae, non omittamus *Stesichorum* ita praecipientem in Orestia ap. Schol. Arist. Pac. v. 797 p. 196, 15 sqq. Fr. 34. p. 643. Bgk.:

Τοιάδε χορὴ Χαρίτων δαμόματα καλλιόμων
 ὑμνεῖν Φρύγιον μέλος ἐξευρόντας ἀβροῶς
 ἤρος ἐπερχομένον.

¹³⁾ In Encycl. real. Stuttgardiensi s. v. Dionysia Vol. II. p. 1063. Myth. Gr. I. p. 421.

¹⁴⁾ Cf. id. Schol. ad Acharn. v. 378. p. 13b,

20 sq.: τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ, ἣτις ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται, et ad Av. v. 1404. p. 241 a, 48, quem locum in textu proferemus.

Neque enim dubito, quin Stesichorus *Φρύγιον μέλος ἐξενρόντας* accipi voluerit de dithyrambo nuper invento, cuius Phrygios modos ita proprios fuisse constat, ut, cum Doriam harmoniam aliquando eius generis carmini attemperare periclitaretur Philoxenus, sua sponte delaberetur ad Phrygiam. Vid. Aristot. Polit. VIII, 7, 2. p. 1342b, 9. Bekk. et Procli chrestom. ap. Phot. cod. 239. p. 320. Bekk. coll. Boeckh. dMP. p. 239. Atque eodem spectare videtur iniecta a Stesichoro mentio Gratiarum, quas et in Bacchi comitatu fuisse et cum bovis agitatore dithyrambo Corinthi¹⁵⁾ eluxisse testatur Pindarus Olymp. XIII, 18 sq.:

*Τὰ Διωνύσου πόθεν¹⁶⁾ ἐξίφανε
σὺν βοηλάτῃ¹⁶⁾ Χάριτες διθυράμβῳ;*

Etiam in ara Olympica Gratiae apparent cum Baccho coniunctae¹⁷⁾, quae res maxime pertinet ad dithyrambum. Hinc a Gratiis dithyrambi et nomen et argumentum mutuatus est Philoxenus¹⁸⁾, hinc *νεαρὰς χάριτας* tragoediae e dithyrambo inventae auctor ascivisse dicitur Thespis¹⁹⁾, hinc denique orta Elearum mulierum cantilena:

*Ἐλθεῖν, ἦρος Διώνυσε,
Ἄλιον ἐς ναὸν ἀγρόν
σὺν Χαρίτεσσιν ἐς ναόν
τῷ βοείῳ ποδὶ θύων,
ἄξιε ταῦρε,
ἄξιε ταῦρε.²⁰⁾*

Mitto alia Gratiarum cum Baccho cognationis vestigia, ut nequaquam obscura, ita a dithyrambo paullo remotiora²¹⁾: satis ex his, quae attulimus, patere arbitramur Stesichorei carminis rationem. Uno igitur tot gravissimorum testium consensu cum Dionysiis magnis vere actis dithyrambus vindicetur: de choris cycliis dubitari iam non posse videtur illius et festi et temporis propriis ac peculiaribus. Ut tamen constet sententia nostra,

¹⁵⁾ Patriam dithyrambi aliis locis aliam finxit Pindarus: quam famae varietatem hic notasse sufficiat.

¹⁶⁾ Tangit verbo ipsum dithyrambi artificem, tauri praemio ornatum, chorago tripodem referente: qua de re dubitare non debebat WELCKERUS Addit. p. 241 sq. not. 179. Vid. praeter alios Simonidis Epigrammata Anthol. Pal. XIII, 28 et VI, 213. = Fr. 150 et 147. p. 788 sq. coll. BOECKH. Expl. Pind. p. 213 et Corp. Inscriptt. I. p. 342.

¹⁷⁾ Vid. Pausanias V, 14. extr. et Herodorus grammaticus ap. Schol. Pind. Olymp. V, 10. p. 120 coll. OD. MUELLERI Orchomen. p. 180.

¹⁸⁾ Etym. Magn. p. 376, 40: *Φιλόξενος ΧΑΡΙΣΙΝ* secundum IOANNIS MEURSII et FRIDERICI

SYLBBRGII emendationem certissimam, de qua alio loco explicabimus.

¹⁹⁾ Dioscorides Epigr. XVI, 2. Anthol. Gr. ed. FR. IACOBS. a. 1794. Vol. I. p. 248.

²⁰⁾ Plut. Qu. Gr. 36. Morall. Tom. I. p. 368, 33 sqq. Cf. id. de Isid. et Osirid. 35. Tom. I. p. 446, 8 sq. Fragm. carm. popul. 3. p. 879. Bgk.

²¹⁾ Ita Bacchus Gratiarum pater appellatur a Nonno Dionys. XLVIII, 355. Neque a locorum, quos collégimus, ratione alienus est, quamquam idem aliorum referendus *Διώνυσος χαριδότης καὶ μελίχιος*, quo nomine Ephesiae mulieres, Baccharum, viri et pueri, Satýrorum habitu induti, salutabant Antonium, teste Plutarcho Anton. 24.

superest, ut nulla praeterea solemnitate Bacchica, nullo alio anni tempore dithyrambum arte illum quidem perfectum a choris cycliis decantatum esse demonstratur. Omitto Dionysia minora (*τὰ κατ' ἀγροῦς*), quippe musicis commissionibus si non destituta, minus tamen celebrata, neque a quoquam veterum dithyrambis attributa. Contra de Lenaeis mense Attico Gamelione, qui Ianuario fere respondet nostro, actis²²⁾ cum alii cogitarunt, tum praecurrentibus L. Dissenio ad Fragm. Pind. p. 616 et OD. Muellero HGL. Tom. II. p. 32, Schmidtius p. 204 sq., qui cum probe intellexisset, quam speciosè Dionysia cum Lenaeis, ver cum hieme comparari, quamque bellam inde de dithyramborum vernorum laetioribus, tristioribus hibernorum argumentis captari liceret disputationem, nulla alia de caussa, nisi ut discrimen illud mere ficticium aliquo modo probaret, in Lenaica quoque certamina dithyrambos deduxit. Atqui Euegori lex, qua Bacchicarum solemnitatum atque commissionum ordinem accurate describi supra vidimus, Lenaicae pompae solos vindicat *τραγωδοῦς* et *χομωδοῦς*. Neque aliunde de Lenaeis cycliorum chororum palmis innotuit quidquam. Verum ejusmodi res non curant, qui contenti ingenii sui inventis antiquitatem e libidine sua fingunt diffinguntque. Hic nobis vir doctus pro argumento sententiae venditat similitudinem quandam a tragoedia petitam. Videlicet cum tragicos poëtas Lenaeis certasse constet, *in aperto* esse ait dithyrambicos non defuisse, quandoquidem ex dithyrambo tragoedia esset profecta. Quasi vero cum maturuisset et inclaruisset filia, non potuisset, ut laudes parentis, ita locum occupare. Inest enim comparationi isti quamquam neglecta Schmidtio aliqua veri particula, modo ne misceantur diversae temporum rationes. Nam prisco illo aevo, quo extemporales Dionysiacorum chororum lusus²³⁾ vigerent, eaque sola essent Bacchicorum carminum specimina, nec Dionysia minora²⁴⁾ illis voluptatis adiumentis, nec Lenaea²⁵⁾ caruisse consentaneum est. Verum

²²⁾ Vid. BOECKH. in Act. Acad. Boruss. a. 1816. p. 50 sqq.

²³⁾ Illum nimirum dico dithyrambum, quem *ἀπὸ τῆς κατὰ τοὺς ἀγροῦς παιδίας καὶ τῆς ἐν τοῖς πότοις εὐφροσύνης* profectum ait Proclus ap. Phot. cod. 239. p. 320 (cf. Athen. XIV. p. 628 A.), quemque ex tempore fustum (Poët. IV. § 14), brevibus fabulis ludicraque dictione et tetrametris (v. ibid. IV. § 17. coll. Rhet. III., l. extr. et Archiloch. ap. Athen. l. l. Fr. 72. p. 483. Bgk.) profluentem, satyricum denique et magis ad saltationem aptum (Poët. l. l. § 18) significat Aristoteles. Cf. WELCK. Addit. p. 228 sqq. Atque eundem, ni fallor, intellegi vult Plutarchus De EI apud Delph. cap. 9. Morall. Tom. I. p. 475, 12 sqq.: τὸν μὲν ἄλλον ἐνιαυτὸν παιᾶνι χροῦνται περὶ τὰς θυσίας, ἀρχομένου δὲ χειμῶνος ἐπιγίγνεται τὸν διθύραμβον, τὸν δὲ παιᾶνα καταπαύσαντες, τρεῖς μῆνας (Gamelionem, Anthesterionem, Elaphebolionem)

ἀντ' ἐκείνον τοῦτον (Διώνυσον) καταπαύονται τὸν θεόν. Quo loco perverse usus LUETCKIUS hibernos finxit dithyrambos promiscue omnes p. 59, frigidae inventionis suae emptorem quovis pretio ne SCHMIDTIUM quidem nactus. p. 200. Postquam vero ex rudibus istis et impoliis carminibus artificiosum provenit opus Athenis eodemque fere tempore ex dithyramborum praecentoribus (v. Aristot. Poët. IV, § 14. coll. WELCK. p. 228. sq. not. 153.) nata est tragoedia: haec partem saltem Dionysiacarum solemnitatum (Lenaea et quodammodo Antliesteria, vid. BERNHARD. HGL. II. p. 669) suo ampliori ludo soli videtur vindicasse.

²⁴⁾ Cf. WELCKERI Addit. p. 246 sq. et PRELLERI diss. de Dionysiis Encycl. Stutgardiensis vol. II. p. 1059.

²⁵⁾ Vid. Suid. s. v. τὰ ἐκ τῶν ἀμαξῶν et Photius ἐξ ἀμάξης, Schol. Aristot. Equitt. v. 547. p. 51a, 5 sqq.

postquam dithyrambus arte excultus et perpolitus — qui solus vocari in literarum disceptationem potest — apparuit Athenis atque e dithyrambo orta tragoedia est adeoque comoedia nuper inventa suum sibi locum postulavit, choricarum commissionum tanta extitit copia, ut describenda ordine esset et digerenda. Eum ordinem iam mature usu partum post sancivit lex. Habemus eam legem, servatam a Demosthene l. l. verbisque conceptam aptis legi, perspicuis, simplicibus neque ullius usquam corruptelae suspectis: profecto ut tale monumentum qui temerè temptare audeat, omnem fidem convellere dicendus sit antiquae memoriae. Ex ea igitur lege Dionysiis in Piraeo actis in scenam mittebantur comoedia et tragoedia, Lenaeis tragoedia et comoedia, Dionysiis magnis chori cyclii, comoedia, tragoedia. Itaque cum tertio loco puerorum chori iuxta tragoediam diserte recenseantur, cur secundo loco omissi et sub tragoediae nomine delitescere putandi sint, intellegi omnino non potest. Imo quo non nominantur loco, eo nominandos non fuisse apparet. Res tam in aprico posita est, ut lubenter verbum non adderem amplius, si otium faceret vir doctus. Is tamen argumentum quoddam mutuatus a Boeckhio (De Lenaeis l. l. p. 33. C. I. n. 231) argutatur in ordine, quo in lege Euegori comoedia et tragoedia digeruntur, tragoediam scilicet praecire, ubi de Lenaeis sermo sit, ubi de Dionysiis, subsequi. Verum ne principatus quidem Lenaicae tragoediae tantum valere debet, ut mentione eius aliud genus poëseos, quamvis cognatum, simul comprehensum esse existimemus. Dithyrambum enim unquam appendicis instar tragoediae subiunctum fuisse, qui tandem sibi persuadent, qui quidem suum cycliorum chororum iuxta tragicos comosque ac proprium in certaminibus musicis locum et honorem, ut Euegoriana lege stabilitum, ita *χορηγίας*²⁶⁾ beneficio ultra tempora liberae Graeciae propagatum et constitisse meminerit et perdurasse?²⁷⁾ Quae praeterea Schmidtius — nam ipso Lynceo oculatior est — de diebus adeo nono et decimo Gamelionis dithyrambo concessis, deque hedera istorum simul dierum et dithyramborum propria et de Ambrosiorum cum choris cycliis coniunctione sibi perspexisse videtur, ea cum ludificantis potius, quam docentis esse appareat, ne patientiam lectoris fatigasse arguamur, lubenter et inventori relinquimus et iis, qui eiusmodi ludibriis delectantur, quorum numero qui factum sit, ut Schneidevinius²⁸⁾ quoque et Hartungius²⁹⁾ se ascribi paterentur, merito mirere. — Postremo dicendum est de Anthesteriis, quae media inter Lenaea et Dionysia urbana mense Anthesterione (Febr.)

Paroemiagr. ed. E. L. a LEUTSCH, et F. G. SCHNEI-DEV. I. p. 454.

²⁶⁾ Vid. titulos ap. BOECKHIUM C. I. I. a n. 217 (p. 346) usque ad n. 225, victorias a puerorum virorumque choris reportatas celebrantes, quorum unus (n. 225) adeo conservandae tripodis Olymp. CXXVII, 2 dedicati memoriae inservit.

²⁷⁾ Similiter WELCKERUS pristinam satyricae fabulae in scenicis commissionibus locum tuetur adversus eos, qui id tanquam ludicrum quoddam embolium ad abstergendas lacrimas inventum putaverunt, Addit. p. 279. sq. not. 242.

²⁸⁾ In censura libri Schmidiani l. l. p. 1097.

²⁹⁾ ad Pind. Fragm. OO. T. IV. p. 204.

Athenis in Dionysi honorem celebrabantur³⁰). Eis verbo moneo nihil omnino cum choris cycliis intercessisse communionis. Quam unus qui finxit Schmidtius pag. 202 sq., argumentis instruxit ejusmodi, ut potius genio indulgere suo, quam persuadere voluisse aliis videatur, quem ne sibi quidem ipsi persuasisse manifestum sit. Nam pag. 205. post agitatam magno cum doctrinae apparatu de Anthesteriis quaestionem, sua ipse vineta caedens, „*Anthesteria*, inquit, *amplius non respicimus*“. Scilicet missa facit solemnia ista tanquam molesta quaedam impedimenta, ubi in eo est, ut egregiam illam de verni hibernique dithyrambi discrimine expromat inventionem, cuius laudem sane verendum erat, ne obscurarent Anthesteria penitusque extinguerent. Concedet igitur, ut talia et ipsi valere iubentes somnia finem tandem faciamus huius digressionis, cuius si quis taedium potius, quam fructum esse criminetur, non me solum culpae reum esse meminerit. Effectum tamen, si quid video, id ipsum est, quod volueramus, quandoquidem et adornatos choros cyclios et decantatos dithyrambos nullo discrimine omnes Dionysiis magnis esse apparuit, vernis illis omniumque Liberalium longe celeberrimis, Lenaeis autem non esse. Quodsi verum est, simul quod his vindicatur solemnibus dithyramborum genus, hibernorum nomine vocatum, fundamento intellegitur destitui eo, quo maxime commendari visum est, ex ipsis dei sacris petito. Eo autem subtracto fieri non potest, quin et ipsum corruat et una cum eo universa illa dithyramborum distinctio, non sine quadam elegantiae specie usurpata, tanquam vana atque inutilis evanescat.

Accedo ad alteram quandam eamque et ipsam bipartitam dithyrambicorum argumentorum distributionem, quae quod non, ut prior illa, e tempore et colore carminum, sed ex ipsa vi et natura dithyrambi emanavit, cum insigne habet rationis praesidium, tum regulae cuiusdam in digerenda rerum dithyrambis tractatarum copia haud incommodae auxilium proficitur. Age, amplectamur duces illam et quomodo praestitura sit, quod pollicetur, periclitemur.

Duplex scilicet vulgo argumentorum genus fuisse statuunt, alterum genuinum et ex ipsis fabellis Dionysiis sumptum, alterum adventicium et ex heroicis fabulis arcesitum. Quorum de illo quidem certa pleraque sunt et explorata, quamquam non suo omnia ordine disposita. Fuit enim dithyrambus, ut omittam reliqua discrimina in hac quaestione leviora, hymnus quidam in Dionysi decantatus honorem³¹), isque divino spiritu

³⁰) Vid. PRELLEEUS in Encycl. Stuttg. I. p. 1061.

³¹) Timaeus lex. Plat. p. 84 D. Dav. Ruhnck. = p. 72 G. A. Koch.: *Διθύραμβος ὕμνος εἰς Διόνυσον*. cuius interpretationem transcripsit Suidas s. v. *διθύραμβος*. Menander rhetor De encom. I. ap. Chr. Walz. Vol. IX. p. 129, 5 sq.: *τοὺς δὲ εἰς Διόνυσον (ὕμνος νομίζουσιν) διθύραμβους*. Etym. Magn. s. v. *διθύραμβος*

249, 46 = *ὁ εἰς αὐτὸν (Διόνυσον) ὕμνος*. Proclus ap. Phot. cod. 239: *ὁ δὲ διθύραμβος γράφεται μὲν εἰς Διόνυσον*. Pollux Onom. I, 48: *Διονύσου (ἰδίου) διθύραμβος*. A quibus memorabili quodam additamento discedit Grammaticus anonymus apud I. A. Cramerum Anecd. Gr. Oxon. Vol. IV. p. 314, 11 sq.: *διθύραμβός ἐστι ποίημα πρὸς Διόνυσον ὑδόμενον ἢ*

inbutus atque coelestis furoris plenus^{31b}). Primarium igitur et tanquam nativum Bacchici carminis argumentum in celebrandis dei natalibus versatum esse prope ex ipsa hymni³²) natura liceret augurari, etiamsi nihil de ea re aliunde constaret. Nunc vero apud Platonem apte haec leguntur De legg. III. p. 700 B: *Διονύσου γένεσις, οἶμαι, διθύραμβος λεγόμενος*. Atque eodem spectant verba Menandri rhetoris De encom. 7. ap. Chr. Walz. Vol. IX. p. 149, 9 seqq.: *ἀλλ' ἐπεὶ εὐρηται καὶ τοῦτο τὸ εἶδος τῶν ὕμνων παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, καὶ ἤδη τινὲς καὶ Διονύσου γονὰς ὕμνησαν, καὶ Ἀπόλλωνος ἑτεροί, κτλ.* Quum autem duplex antiquitus de Dionysio aut e Iovis femore nato (*Εἰραφιότη*)³³)

πρὸς Ἀπόλλωνα περιπλοκαὶ ἱστοριῶν οἰκίως. Atque redit eadem Apollinis mentio in simili rerum nexu apud scriptorem Argumenti Demosth. Mid. p. 460, 29 sqq.: *ἐπιστάσης δὲ τῆς ἑορτῆς (Dionysia dicit choris cycliis celebrata) ἡγωνίζοντο πρὸς ἀλλήλους οἱ χρηστοὶ καὶ ἤριζον, ἴμνους εἰς Διώνυσον ἄδοντες, καὶ τῷ νικῶντι τρίπους τὸ ἄθλον ἦν, ἐπειδὴ τὸν αὐτὸν Ἥλιον καὶ Ἀπόλλωνα καὶ Διώνυσον ὦντο*. Ita nimirum Delphos censuisse tradit Menander rhetor l. l. cap. 17. p. 330, 3 sqq.: *Διώνυσον Θηβαῖοι, Δελφοὶ δὲ διπλῆ προσήγορία τιμῶσιν, Ἀπόλλωνα καὶ Διώνυσον λέγοντες*, sed Delios Etym. Gud. ed. Fr. G. Sturz. p. 148, 12 sq. s. v. *Διώνυσος* — *παρὰ γὰρ Ἀθλοῖς ὁ αὐτὸς τῷ Ἥλιῳ νομίζεται*. Circumferebatur autem illa de Dionysio eodem atque Sole sive Apolline doctrina in Orphicis. Cf. Catasterismi vulgo Eratostheni attributi cap. 24. Mythogr. Gr. ed. A. Westermann. p. 255, 10, ubi haec sunt de Orpheo: *ὅς τὸν μὲν Διώνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν*. Congruunt fragm. Orph. IV. p. 455 ed. G. Hermann. coll. Macrob. Sat. I, 18: *Ἥλιος, ὃν Διώνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν*, itemque, nisi quod Romanorum etiam Liberum admiscuit, Ioannes Laurentius Lydus De mensibus ed. G. Roether 38. p. 196: *Ἄβερ παρὰ Ῥωμαίοις ὁ Διώνυσος, οἰοῦναι ἐλευθερός, ταῦτε σὺν Ἥλιος*. Quam Dionysi et Apollinis cognationem pariter atque utriusque numinis discrepantiam accurate expendit ED. GERHARDUS Auserl. Vasenbilder p. 116. Ad eum igitur ablegantes lectorem redimus, unde defleximus, ad Dionysi hymnum: quo nomine cum dithyrambum constanter a veteribus appellari appareat, quid caussae sit non video, cur cum eo, qui Athenaci Deipnosophistas in epitomes formulam redegit, de hymni appellatione, Lasi Centauris attributa X. p. 455 C, expostulandum putarint SCHNEIDEVINUS De Laso Ind. lectt. Gotting. 1842. p. 13 et SCHMIDTIUS p. 213.

^{31b}) Proclus ap. Phot. cod. 239. p. 320: *ἔστιν οὖν ὁ μὲν διθύραμβος κεκνημένος καὶ πολὺ τὸ ἐνδοσιώδες μετὰ χορείας ἱμαίνων*. Concitiationem carminis indolem ab attemperata Phrygia harmonia tibiarumque musica profectam dicit Aristoteles Polit. VIII 7, p. 1342 b. Init.: *ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἢ Φρυγιστὶ τῶν ἀρμονιῶν, ἢ πτερᾶ ἀλλὸς ἐν τοῖς οὐράνοις· ἄμφω γὰρ ὄργανιστικά καὶ παθητικά· δηλοῖ δ' ἢ ποιήσις, πᾶσα γὰρ βακχία καὶ πᾶσα ἢ τοιαύτη κινήσις μάλιστα τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἐν τοῖς αἰλοῖς, τῶν δ' ἀρμονιῶν ἐν τοῖς Φρυγιστὶ μέλει λαμβάνει ταῦτα τὸ πρέπον, οἷον ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον*, divinas dithyrambi dotes ad dei donum referentibus Archilocho et Epicharmo apud Athenaeum XIV, p. 628 A. B, quos sequuntur Philochorus apud eundem ibid. et Proclus ap. Phot. l. l. Cf. Plut. de EI apud Delphos cap. 9. Morall. I. p. 475, 6. Totius autem religionis Dionysiacaee proprium dicit ὄργανισμὸν Strabo X. p. 468 C = Vol. II. p. 658, 15 sqq. ed. A. Mein. collato PRELLERO in Encycl. Stutgard. s. v. Dionysia Vol. II. p. 1057.

³²) Hymni quae notio esset sagaciter rimatus est WELCKERUS, qui in Mus. Rhen. I. p. 254: *Hymnus, inquit, ist nicht jede Geschichte, sondern nur eine im Cultus begründete, die Geburt, Hochzeit, Todesfeier des Gottes oder Stiftung der Heiligthümer angehende*. Neque dissentit BERNHARDIUS HLG. p. 560 sq. ed. Hdae, qui veterum locos et de hymno, qui latiori sensu dicitur, et de eo, qui proprio nomine appellatur, diligenter collegit apteque disposuit.

³³) Ita praeter alios Dionysum appellat auctor Hymni XXVI, 2. 17. 20, ed. C. Tauchn., deum Iovis femori insutum (*μηρορραφή*) fuisse significans, testibus Etymologo Magn. p. 302, 53 et Eustathio ad Dionys. Perieg. V. 576: *διὰ αὐτὸ ἐράφθη ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός*. Novam vocis originem (ἔαρ) finxit C. SCHWENCKIUS ad Hymn. Homer. p. 213, approbante citius WELCKERO Addit. p. 187 sq. not. 11.

aut eiusdem e Semela filio vigeret fama, cuius haud obscura in Hymno Homericis annumerato XXVI^{33b)} vestigia deprehenduntur: utramque iam vetustissimo tempore in unam conflata esse, ipsum dithyrambi nomen³⁴⁾ documento est. Fragmentis quidem unum tantummodo eius argumenti exemplum exhibetur, Timothei Milesii ΩΛΙΣ: quo de carmine, Semeles haud dubie dolores complexo, alio loco dicam accuratius. Hic illud praecipiam, haud facete admodum de Timothei dithyrambo iocatos videri eos, quorum cavillatio memoriam eius ad nostram aetatem propagavit, Stratonicum apud Athenaeum VIII, p. 352 A et Dionem Chrysostomum 77 p. 426. I. I. Reisk. Plura alius argumenti indicia apparent, ac simillimi quidem, et ex ipso divinorum natalium praeconio delibati. Videlicet cum Dionysio auctore nasci renascique putaretur longo hiemis sopore oppressa rerum natura: qua de re eleganter in Mythologia Graeca exposuit L. Prellerus Tom. I. p. 412: factum primis statim dithyrambicae poësis temporibus est, ut carmen Bacchicum a Dionysi laudibus ad celebrandum terrae coelique novae veluti vitae gaudio exsultantium transferretur triumphum³⁵⁾. Inde vernae illae aerae, quas spirat Pindari dithyrambus a nobis suprap. III. commemoratus, cuius in exordio ad praedicandum Semeles filium omnes convocantur Olympii, inde Pleiadum, ipso quippe Dionysiorum tempore assurgentium, inde denique Orionis pervicacissimi illius amatoris in dithyrambis Lamproclis eiusdemque Pindari mentiones³⁶⁾. — Quandoquidem autem ita fert natura humana, ut voluptatis et doloris contigui fines sint summique doloris et voluptatis perpetuae quaedam vicissitu-

^{33b)} Hymn. Homer. XXVI, 5 sq.:

ἄλλοι δ' ἐν Θήβῃσιν, ἄναξ, σὲ λέγονσι γενέσθαι
ψευδόμενοι· σὲ δ' εἴκτε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sed Thebanorum etiam de Semela Dionysi matre narrationem bene antiquam esse, ne Iliadis interpolatorem afferam Ξ, 325, auctor alterius in Dionysum hymni XXV, 2 ostendit.

³⁴⁾ Mihi quidem ea maxime probatur explicatio, cuius adiumento e dithyrambi nomine omen simul de dei duabus e portis profecti origine eruit WELCKERUS Addit. p. 191, sq. not. 27. Dionysum enim ipsum Διθυράμβον sive Διθυράμνον nomine vocatum esse et ex Athenaeo I. p. 30 B constat et e vasculi cuiusdam fragmento idem docuit vir eruditus Alte Denkm. III. p. 125 sqq. 130. Contra minus arridet alia vocis interpretatio, quam nuper proposuit HARTUNGIUS Lyr. Gr. IV. p. 196 sq.

³⁵⁾ Sit venia verbo, praesertim cum non alienum sit a Baccho. Nimirum, quemadmodum Διθυράμβος (vid. not. 34), ita etiam Θριάμβος cognominatus est Dionysus, testibus antiquo poeta apud Dionysium De

comp. verbb. cap. 17, p. 117, Diodoro IV, 5, Athenaeo I. p. 30 B. Atque a Θριάμβω Graeco Liberi patris cognomento Romanorum triumphum dictum esse conicit Varro De ling. Lat. p. 69, ed. I. Scal., inventum autem a Libero triumphum inventionum auctors scribit Plinius Nat. Hist. VII, 56. init. Verbi fontem a Θρίων rependum probaliter statuit WELCKERUS Addit. p. 191. not. 27, in alia quaevis abeunte Etymologo Magno p. 413, 18. Utramque adeo vocem conglutinavit Pratinas, Dionysium Θριαμβοδιθυράμβε appellans in hyporchemate quodam ap. Athen. XIV, p. 614 A. Fr. I, 18. p. 843. Bgk.

³⁶⁾ Lamprochis fragmentum extat apud Athen. XI, p. 491 C, unde arripuit Eustathius ad Hom. Odys. μ', 64. p. 1713, 5 Rom. = Vol. II. p. 11, 4. Lips. Fragm. 2. p. 838. Bgk. — Pindari manum restituerunt viri docti ex Etym. Magn. s. vv. θίαραξ et πλειάς coll. Cram. Anecd. Par. IV. p. 194, 7, Schol. Pind. Nem. II, 16. p. 437, Strab. IX, 404 C. = Tom. II. p. 571, 27 Mein., Hygin. Poët. Astron. II. p. 277. sq. ed. Hamburg. a. 1674. Fr. 45. 53. p. 225. 231. Bgk.

dines: quarum rationem lepidissime apud Platonem in Phaedone p. 60 A. explicat Socrates: ita sibi persuaserunt Graeci, qui in perpetua rerum varietate et suam ipsorum et deorum fortunam intuerentur, ut, quem veris vernique gaudii datorem esse crederent, eundem hiemis hibernaeque mortis et tristitiae existimarent parentem.³⁷⁾ Expressa ea opinio est fabula quae narratur de Dionyso, Iovis et Proserpinae filio, a Titanibus dilaniato. Qui quidem Dionysus variis aut Sabazii aut Zagrei aut Iacchi nominibus³⁸⁾ celebratus, etsi peregrinus deus fuit et a Graeco Dionyso diversus, tamen iam vetustissima aetate e Phrygia et Thracia in Graeciam transmigravit ibique cum Dionyso Semeles filio in unum coaluit. Ea quidem patriarum religionum cum externis, vulgaris superstitionis cum arcana disciplina, dei superi cum infero, laeti Semeles filii cum mystico aut Cybeles aut Cereris Eleusinae assessore coniunctio sive confusio unde orta sit quaerere accuratius hoc loco non attinet:³⁹⁾ satis erit eam dithyrambicae poësis aetate priorem ostendisse. Qua de re, ut difficiles et de Orphei auctoritate⁴⁰⁾ et de Diodori fide⁴¹⁾ devitemus quaestiones, idonei testes sunt Terpander Lesbios et Heraclitus Scotinus, quorum alter Arione Methymnaeo aetate maior⁴²⁾, alter Laso Hermionensi⁴³⁾ aequalis fuit, uterque autem eius,

³⁷⁾ Vide de hoc doloris et tristitiae per Bacchica sacra coeuntium concentu quae ex ipso naturalis quam vocant religionis ingenio repetita scripsit PRELLERUS in Encycl. Stutgard. s. v. Dionysia Vol. II. p. 1057 iterumque in Myth. Gr. Vol. I. p. 412. Attigit eandem rem GERHARDUS in libro, cui eundem indicem fecit, Vol. I. §. 453, 3. p. 496 sq.

³⁸⁾ Dionysum, Proserpinae filium, Sabazii nomine appellant Terpander Lesbios loco statim afferendo et Diodorus IV, 4. Eundem vero et proprio nomine Zagrea sive Iacchum vocatum esse perhibent Scholiasta Pind. Isthm. VI. (VII), init. p. 550 et Tzetzes ad Lycophr. v. 355. Utroque autem nomine arcano altero, altero paulo vulgatiore, veteres significari voluerunt Dionysum, Cereris Eleusinae assessorem, qui est apud Pindarum Isthm. VI (VII), 3, Strat. onem X. p. 468 C = Vol. II. p. 658, 19 sq., Scholiastam Aristoph. Ran. v. 324a, 16, denique in compluribus gemmis Gedikianis apud L. DISSENIUM in Pind. BOECKHII p. 535. De Sabazio tamen alia eaque sine dubio antiquior fama est apud Strabonem, quo teste natione Phryx, filius autem Cybeles fuit, X. p. 470 C = Vol. II. p. 661, 23. Nomen a σαβάζειν (τὸ γὰρ εἰάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν λέγονται) derivat Nymphis Heraceota apud Schol. Aristoph. Avv. v. 874. p. 230a, 23, a σαβοί (σαβοὺς δὲ ἔλεγον καὶ τοὺς ἀμειρωμένους αὐτῶν τόπους καὶ τοὺς βάρβαντες τοῦ θεοῦ) alter ibidem comici Enarrator, non discedente Harpocrate s. v. σαβοί, denique ab acclamatione quadam εὐοὶ σαβοῖ Strabo X. p. 471 C = Vol. II. p. 663, 1. Novum vocis expli-

candae periculum parum feliciter fecit ED. MUELLERUS in comment. de Attide et Sabazio Prolus. Ratibor. 1828. p. 9. not., a σέβας et σέβομαι natam coniciens. In universum autem de hoc ternione Dionysiaco cf. GERHARDUS Vol. I. p. 502. seqq. et PRELLERUS I. p. 433. 436. 486.

³⁹⁾ Vid. GERHARDUS I. §. 457. p. 502 et PRELLERUS I. p. 426 sq.

⁴⁰⁾ Cf. not. 45.

⁴¹⁾ Cum tamen quae de duobus Bacchis, altero Thebano, altero eoque multo antiquiori Sabazio narrat Diodorus IV, 4, accepta referre videatur Dionysio non Milesio, de quo cogitavit Chr. G. HEYNIUS De Fontibus Hist. Diod. ed. LUD. DINDORF. Tom. V. Append. p. CII., sed Mytilenaeo, homini cruditissimo multaque lectione imbuto (de quo cf. WELCKERUS Cycl. epic. p. 81-87): in nostra fortasse causa non omnino spernendus auctor fuerit.

⁴²⁾ Terpandrum Lesbium Olymp. XXXIII floruisse uno consensu testantur Eusebius Hieronymianus ad Olymp. XXXIII, 2, ANG. MAI Armeniaca ad Olymp. XXXIII, 3, Marmor Par. ep. 34. (Archonte Dropide Olymp. XXXIII, 4). Arionem autem Olymp. XXXVIII. a-XXXIV, 1 scripsit Suidas (v. Ἀρίων. Cf. not. nostr. ad IOSEPHI SCALIGERI Olymp. Recens. p. 16, 93.

⁴³⁾ Inclaruerunt et Heraclitus et Lasus Olymp. LXVIII, LXIX: id quod e notis nostris ad Scalig. l. l. p. 46, 252 et 37, 198 patebit.

de quo loquimur, Dionysi mentionem iniecissee perhibetur. Et Lesbii quidem poëtae fragmentum servavit Ioannes Lydus De mensibus 38. p. 198 (Fr. 5. p. 538 Bgk.): ubi *Τέρπανδρός γε μὴν*, inquit, *ὁ Λέσβιος Νύσσαν λέγει τετιθηγηκέσαι τὸν Διόνυσον τὸν ὑπὸ τινῶν Σαβάζιον ὀνομαζόμενον, ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης γενόμενον, εἶτα ὑπὸ τῶν Τιτάνων σπαραχθέντα.*⁴⁴⁾ Philosophi autem obscuri, qui appellatur, memoria superest apud Clementem Alexandrinum Protr. cap. 3. §. 34. p. 10, 25. Fr. Sylb. = Tom. I. p. 30, 3 sq. ed. R. Klotz. (Fragm. ed. Fr. Schleiermach. 70. p. 524 sqq.): *ὠντὸς δὲ Ἰδης καὶ Διόνυσος, ὅτε μαινόνται καὶ ληναίζουσιν.*⁴⁵⁾ Itaque ab Heracliti inde Terpandrique temporibus Dionysum in numero deorum inferorum haberi coeptum esse nequit dubitari. Asciverunt postea Dionysum chthonium in tragoediam Aeschylus⁴⁶⁾ et Euripides.⁴⁷⁾ Neque in dithyrambo eum repudiatum esse consentaneum est. Heraclitus enim quod Orcum ieiundum esse cum Dionyso affirmat, scilicet summam quodammodo universae religionis Dionysiacaе complexus, mortis et vitae fontem Bacchico cultu tanquam in unum confluisse significat. Inde autem convenientissimam sumi potuisse materiam carminis eius, quod in ipsis hiemis et veris quasi mortis cuiusdam et vitae confiniis, tristitia et laetitia mirificum in modum temperatis auditorum animis, cantaretur, quis non intellegit? Ac profecto dithyrambum non solum Dionysi ex inferis redeuntis et rerum universitatem brumali torpore sopitam renovantis origines, sed etiam inferias dei hiemis atrocitate pereuntis naturamque sua morte obruentis simul complexum esse documenta extant certissima. Ac primum quidem utrumque dithyrambo argumentum attribuit eumque et ipsum dei⁴⁸⁾ instar, cui accinebatur, biforem quodammodo repraesentat Plutarchus De El apud Delphos Morall. I. p. 474, 47 sqq.: *Διόνυσον δὲ καὶ Ζαγρέα καὶ Νυκτέλιον καὶ Ἰσοδαίτην*⁴⁹⁾ *αὐτὸν ὀνομάζουσι, καὶ φθορὰς τινὰς καὶ ἀφανισμούς, καὶ*⁵⁰⁾ *τὰς ἀποβιώσεις καὶ παλιγγενεσίας — πε-*

⁴⁴⁾ De postremis iniuria dubitat C. A. LOBECKIUS De morte Bacchi prolus. p. 11. (Aglaph. I. p. 306). Exornavit deinde tabulam Nonnus Dionys. V, 563 sqq. Attigerunt Nonnus Abbas Narrat. ad Gregor. invect. 2, 29. p. 170 (Mythagr. Gr. ed. Westerm. p. 368. XXXII, 3.) et Eudocia p. 124.

⁴⁵⁾ Heraclitum ex Orpheo plurima mutuatum insimulat Clemens Alexandrinus Strom. VI. p. 267, 11. Sylb. = OO. Tom. III. p. 113, 5 sqq. coll. p. 251, 11 = III. p. 107, 12 sqq. Similiter Alexander Polyhistor ap. Plutarchum De Mus. cap. 5 Orphei cantilenas aemulatum scribit Terpandrum. Id si verum est, illam ipsam de Dionyso a Titanibus discerpto famam, a poëta Lesbio traditam, ex Orpheo profluxisse statuas: quo fortasse argumento uti licebit ad confutandum Pausaniam VIII, 37, 3, condita Bacchi orgia et Titanes Dionysii interfectores demum ab Onomaerito factos proden-

tem. Eodem spectant, quae disserit H. BODIUS de Orpheo pag. 169. sq. Cf. BERNHARDIUS HGL. p. 290/372.

⁴⁶⁾ Vid. Aegyptiorum fragmentum ap. Cram. Anecd. Oxon. Vol. II. 443, 12 et Etym. Gud. p. 227a 41 coll. G. HERMANNO Aesch. Fragm. T. I. pp. 313 331 sq. = A. NAUCK. TGF. 4. p. 3. Attigit etiam in Sisypho *δραπέτη* quae vocatur ap. CRAMER l. l. p. 443, 11 et Etym. Gud. p. 227a, 40. HERMANN. Fr. 242. p. 372 sq. = NAUCK. Fr. 224. p. 58.

⁴⁷⁾ Cretensibus ap. Porphy. De abst. IV, 19. NAUCK. Fr. 475. p. 401.

⁴⁸⁾ *Διόνυσον διμορφον* exhibet Diodorus IV, 5. Cf. GERHARDUS Tom. I. §. 451, 1. p. 492.

⁴⁹⁾ Cf. de hoc verbo LOBECKIUS Aglaph. p. 621.

⁵⁰⁾ Ita I. G. HUTTENIUS, DUEBNERO (o) offerente.

ραίνουσι, καὶ ἄδουσι τῷ μὲν διθυραμβικὰ μέλη παθῶν μεστὰ καὶ μεταβολῆς, πλάνην
τινὰ καὶ διαφόρησιν ἐχούσης.

μιξοβόαν γάρ, Αἰσχύλος⁵¹⁾ φησί, πρέπει
διθύραμβον ὁμαρτεῖν
σύγκοινων Διονύσῳ.

Unde, licet immixtam physicae cuiusdam philosophiae placitis, satis tamen perspicuam cognoscas duplicis, in quo versamur, dithyrambi formam. Ad fragmenta venio, quorum quae ad Dionysi ortum spectant, supra exhibui, hunc sibi locum requirentibus, quae ad dei decessum referuntur. Rara autem inferi huius Dionysi in dithyramborum reliquiis mentio fit, neque tamen nulla. Quorum nec illud mirum, in tanta quippe temporum iniuria, dithyrambicae potissimum poësi conflata, nec hoc, etsi latuit, obscurum. Neque enim dubito, quin de lugubri huius carminis indole explicandum sit illud, quod qui primus dithyrambos ad artis leges exegit et exaravit Ario, idem τραγικοῦ τρόπου εὔρετης appellatur Suidae s. v. Ἀρίων, quamvis id aliorum flectat, auctore Godofredo Hermanno Opusc. VII. p. 215, Henricus Bodius HPG. II. p. 167. Porro et Melanippidis Meli ΠΕΡΣΕΦΟΝΗΝ, quae raptum Proserpinae continuisse videtur⁵²⁾, et Licymnii Chii fragmenta ea, in quibus de Acheronte narratur⁵³⁾, cum Dionysio chthonio cohaerere manifestum est. Inprimis autem in celebrando eo sibi placuisse traditur Diagoras, Melius et ipse, cuius cum scatuisset Iacchi appellationibus dithyrambos Enarrator Comici⁵⁴⁾ testatur, tum versiculum quendam superstitem esse apud Dionysium suspicor. Certe quod apud eum De comp. verbb. cap. 17. p. 117. sine auctoris nomine circumfertur dithyrambicae poësis fragmentum:

Ἰακχε διθύραμβε, σὺ τῶνδε χοραγέ,

id Iacchi sectatori Diagorae egregie convenire quis neget? Is tamen cum non nomine tantum Iacchi, sed argumento ipso a vulgari fama descivisse et ad Eleusiniarum religionem,

⁵¹⁾ Cf. HERMANNI Fr. 317. p. 391. Opusc. V. p. 25 = NAUCKII Fr. 345. p. 84.

⁵²⁾ Meminit Apollodorus in vicesimo de diis libro apud Stobaeum Ecl. phys. et ethic. I, 52 = Fragm. Apollod. ap. HEYNIUM p. 391, apud CAR. MUELLERUM p. 429b, Melanipp. ap. BERGKIUM 3. p. 848.

⁵³⁾ Apud eundem ibidem Apollodorum = Fragm. Licymn. ap. BERGKIUM 1 et 2 p. 839.

⁵⁴⁾ Ran. v. 320. p. 284b, 40 sqq.: Διθύραμβο-

ποιὸς ὁ Διαγόρας ποιητής, συνεχῶς Ἰακχε Ἰακχε ἄδων. Quae deinde sequuntur: ἡνωμικὸς διθύραμβικὰ, τούτοις Διονυσιακὰ δράματα ποιῶν ineptis quibusdam grammaticorum ἀποσχεδιάσμασιν annumeranda docuit SCHNEIDEVINUS in Nov. Diar. liter. Ienens. a. 1848. n. 275 p. 1097b. Theatri consuluit risui, qui Diagorae cantilena: Ἰακχ' ὦ Ἰακχε eaque ter quaterque repetita utentem fecit mystarum chorum Aristophanes in Ranis vv. 316. 324. 325. 341.

ne ab Aeschylo quidem impune violatam⁵⁶⁾), accessisse propius eiusque prodidisse mysteria videretur, tanquam contemptor deorum exilio luit impietatem⁵⁶⁾).

Ita duo potissimum nacti sumus dithyrambi argumenta ex ipsis Bacchicis fabulis petita, alterum de dei ortu patrium, alterum de eius interitu aliunde advectum. In utroque autem, si quid intellego, locum habere potuit de Dionysi nuptiis narratio, prouti sacrum illud nuptiale, coram nobilissimis matronis Atheniensium secundo quoque Anthesteriorum die celebratum, quo die uxor archontis regis Dionysi in matrimonium offerri fingeretur⁵⁷⁾, ad dei aut cum Ariadna⁵⁸⁾ aut cum Cora⁵⁹⁾ consociationem malueris referre. Quod videlicet Anthesteria mimica quadam actione expressum vidissent, id celebratum carmine audisse Dionysia conicias. Ac, ni fallor, ad similitudinem Bacchi cum Minoia virgine coniugii effectus fuit dithyrambus quidam Bacchylidis, quo poeta Thesea fecit Athenienses Cretico illo septem puerorum totidemque puellarum tributo liberantem, teste Servio ad Virg. Aeneid. VI, 21. Fr. 18. p. 825 Bgk. Fuit praeterea etiam Telestis Selinuntii dithyrambus, Hymenaei nomine inscriptus⁶⁰⁾ itemque fortasse Licymnii⁶¹⁾, sed ii aliorum potius, quam ad Dionysi nuptias spectaverunt.

Quam hucusque indicavimus potius, quam demonstravimus dei praedicandi materiam, eam etsi largissimam esse patet, dithyrambo tamen maiores spiritus sumpturo sufficere diu non potuisse consentaneum est. Quamquam enim inexhaustam fere fabularum fabellarumque de Dionysi natalibus et passionibus copiam apud Graecos extitisse certum est, vix ut metui potuisse videatur, ne dithyrambi artificem deficeret argumentum: eandem tamen etiam atque etiam decantatam facere non potuisse intellegitur, quin postremo novi carminis excitaret desiderium. Idque Athenis quidem vel maxime viguisse eo tempore existimem, quo post inducta Olymp. LXVIII, 1. cycliorum chororum certamina⁶²⁾ et

⁵⁶⁾ Vid. Aristoteles Ethic. Nicom. 3, 2. p. 1111 a, 10 ad eumque locum Eustratius p. 40 A. coll. Aeliano VV. HH. V, 19 et Clem. Alex. Strom. II. p. 166, 49. Sylb. = Vol. II. p. 161, 9 sq. Tractavit rem LOBECKIUS Aglaoph. pag. 77 sqq.

⁵⁷⁾ Vid. Schol. Aristoph. Ran. v. 320. p. 284b, 20 sqq., unde profecit Suidas s. v. *Ἰαυγος*. Attigi Diagonae τοῦ ἀθίου causam in Prolus. de Melanipp. I. p. 12 sq. Cf. M. H. E. MEIERUS in Halensium Encycl. Tom. XXIV. p. 444.

⁵⁸⁾ Vid. Demosthenes in Neaer. OO. AA. Tom. V, 73. p. 564: ἐξεδόθη δὲ τῷ Διονύσῳ γυνή coll. Hesychio s. v. *Διονύσου γάμος*.

⁵⁹⁾ Ea PRELLERI sententia est, Myth. Gr. I. p. 421. Cf. tamen eiusdem cum de Cerere et Proserpina p. 390. tum de Dionysiis comment. in Encycl. Stuttg. Tom. II. p. 1062.

⁶⁰⁾ Ita GERHARDUS suspicatur Myth. Gr. Tom. I. p. 460. § 424. not. 2.

⁶¹⁾ Meminit eius Athenaeus XIV, p. 637 A. Fr. 5. p. 866. Bgk.

⁶²⁾ Cf. idem Athenaeus XIII, p. 603 D. Fr. 5. p. 840. Bgk.

⁶³⁾ Olymp. LXVIII, 1 et Lasus Hermionensis dithyrambum in certaminis arenam deduxit, teste Suida s. v. *Λάσος* P. H. LARCHERI (Chronol. Herod. p. 635.) medela probabiliter emendato, et virorum chori primum certarunt Athenis Marmoris Parii ep. 46. Boeckh. auctoritate locupletissima. Repugnant quidem Oeconomica vulgo Aristoteli ascripta, ut quae iam aliquot annis ante Hippiam Atheniensibus χορηγίας officium imposuisse affirmant, II, 4. p. 1347a, 11 sq. Horum tamen quisquis auctor habebitur, rem narrat vix credibilem, neque magis a reliqua vetustatis fama, quam a

summa esset hominum de dithyrambo expectatio, neque parum poëtas ipsos stimularet cum mutua inter se aemulatio, tum tragoediae paullo ante inventae laus. Ac profecto illo potissimum tempore dithyrambus limites origine atque usu sancitos egressus nova sibi argumenta et quaesisse putandus est et invenisse quaesita. Memorabilis hic dithyrambici carminis amplificatio ut e fragmentis manifesto elucet, ita mirum est quod ab omnibus scriptoribus antiquis caeteroquin in notando literarum progressu diligentissimis neglecta unius Plutarchi verbis iisque satis obiter factis ad aetatem nostram pervenit. Is enim in libello, quem De Musica scripsit, cap. IV. Morall. II. p. 1387a, 12 sqq. Xenocriti Loricis Italicis oriundi iniecta mentione dubitatum esse ait, *εἰ παιάνων ποιητῆς γέγονεν. ἡρωικῶν γὰρ ὑποθέσεων πράγματα ἐχουσῶν ποιητὴν γεγονέναι φασὶν αὐτόν. διὸ καὶ τινὰς διθυράμβους καλεῖν αὐτοῦ τὰς ὑποθέσεις.* Subtile illud haud indocti grammatici, quamvis admixta quadam orationis obscuritate, Plutarchus protulit iudicium, quod quo plures in dithyrambi historia peperit errores, eo considerandum est accuratius. Iam per se nihil omnino commune est cum dithyrambo paeani, quod genus cantilenae in Apollinis honorem cantari solitae⁶³⁾ et numeris⁶⁴⁾ et harmonia⁶⁵⁾ et vero tota tractandi argumenti ratione temperata illa atque modesta⁶⁶⁾ tam accurate delinearunt tamque perspicue a dithyrambo distinxerunt veteres, ut alterum cum altero ab homine ne mediocriter quidem docto confundi potuisse existimes. Sed fabulas heroicas attemperaverat Apollineo carmini Xenocritus: quae res tanti momenti existimata est a criticis, ut hymnos Xenocriteos e paeanum numero deletos dithyrambis ascribendos esse censerent. Qua quidem censura ita pertinere ad carmen Bacchicum heroica argumenta significant, ut dithyrambum cum illis cogitari posse, paeanem non posse appareat. Sed qualem tandem dicunt dithyrambum, heroicis fabulis qui efficiatur? Et praeterea, id quod rem continet, quaenam sunt

tyrannorum Graecorum ingenio aliunde cognito prorsus abhorrentem.

⁶³⁾ Menander rhetor De encom. p. 129, 4 sq.: *τοὺς μὲν γὰρ εἰς Ἀπόλλωνα (ἕμνον) παιᾶνας καὶ ὑπορχήματα νομίζομεν, τοὺς δὲ εἰς Διώνυσον διθυράμβους κατέ.* Translatum deinde nomen ad cuiusvis dei praeconium. Servius ad Virg. Aen. VI, 657: proprie Apollinis laudes; — abusive omnium deorum. Neque aliter ad X, 738 secundum quidem BERNHARDI HGL. p. 450, 1=553, 2. edit. emendationem.

⁶⁴⁾ Creticos numeros paeanum proprios ostendit BOECKHIUS dMP. p. 143. 201, habitante in dithyrambis, quamquam cretici non impatientibus, dactylo. Vid. Comment. nostr. de Melanipp. II. p. 15.

⁶⁵⁾ *Δωρίον μέλος* in paeanibus *σεμνότατον* dicit Scholiasta Pind. Olymp. I, 26. p. 28. Dithyrambo

autem Phrygios modos admixtos fuisse notissimum est. Vid. supra p. V.

⁶⁶⁾ Plutarchus de EI apud Delphos cap. 9. Morall. I. p. 474, 51 sqq.: *καὶ ἄδουσι τῷ μὲν διθυραμβικῷ μέλει παιδῶν μετὰ καὶ μεταβολῆς (reliqua vid. supra p. XII), τῷ δὲ (Ἀπόλλωνι) παιᾶνα, τεταγμένην καὶ σόφρονα Μοῦσαν.* Neque aliter praecierat Philochorus apud Athenaeum XIV, p. 628 A. Fr. 21. p. 387: *οἱ παλαιοὶ σπένδοντες οὐκ αἰεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ', ὅταν σπένδουσι, τὸν μὲν Διώνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ, τὸν δ' Ἀπόλλωνα μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως μέλλοντες.* Eodem pertinet, quod de nomo a paeane profecto scribit Proclus ap. Phot. cod. 239. p. 320: *ὁ δὲ νόμος δοκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ παιᾶνος ἕνῃναι. — ὅθεν τὸ μὲν ἐνθουσιῶδες οὐκ ἔχει, ὡς ὁ διθυράμβος, ἐκεῖ μὲν γὰρ μέθαι καὶ παιδιαί, ἐνταῦθα δὲ ἰκετεῖαι καὶ πολλὴ τάξις.* Vid. BERNHARDI HGL. p. 448 sqq. 1=552 sqq. 2. edit.

heroicae istae fabulae? Ne multa: patet novam nobis a Plutarcheis grammaticis offerri dithyrambi speciem, ab ea, cui Bacchicas historias vindicavimus, penitus diversam et priori illa multo liberiorem. Haec tamen ipsa libertas carminis accuratiori indiget definitione. Neque enim tam late eam patere tibi persuaseris, ut materiam heroicae historiae universam opeloci Plutarchei dithyrambo obtrudi posse existimes. Ea enim non libertas fuerit, sed licentia; licentia autem eiusmodi statim ab initio habet, quod adversetur ingenio artium Graecarum. Fuit enim apud Graecos sua cuiusque artis et propria lex, sua indoles, habuitque libertas ipsa sua quasi vincula, quae perfringere ne liberrimae quidem artium omnium dithyrambicae videtur licuisse. Id sensisse opinor viros doctos eos, qui *ἡρωικὰς ὑποθέσεις* a Plutarcho significatas non de omnibus argumentis heroicis, quaecunque sunt, sed de iis tantummodo intellegi voluerunt, quibus cum Dionysiaca religione quaedam intercederet cognatio. Quo in numero est F. G. Schneidevinus Simonid. Cei reliqq. Brunsvig 1835. pag. 52, quamquam is et tragoediam lyricam immiscet ab hac quaestione alienam, et postea repudiato conditionis modulo infinitam amplexus est argumenti dithyrambici licentiam, in Censura saepius laudata Diar. Ienens. a. 1845. n. 275. p. 1097b. Cf. eiusdem Prolus. De Laso Hermionensi a. 1842. p. 13. Acerrimus autem sententiae illius, quae artiorem dithyramborum cum Bacchicis necessitudinem tuetur, patronus extitit Schmidtius p. 200—217, neque tamen pari magno conatui successu. Is enim postquam remotissimos mythicae historiae recessus pervestigavit occultissimosque heroicarum fabularum excussit thesauros, scilicet misere laborans, ut aliquam cum Baccho conjunctionem dithyrambicis argumentis hinc accommodaret hinc affingeret, postremo nihilominus eo redigitur inopiae, ut nescire se, quomodo e difficultatibus ab ipso creatis feliciter evadat, ingenue profiteatur p. 217: ubi *Quid*, inquit, *Geryonis sibi et Neptuni et Philoctetis mentio velit, me nondum intelligere posse confiteor*. Neque tamen illa, de quibus desperat Schmidtius, Bacchylidis Pindarique argumenta a Dionysiaca religione magis abhorrent, quam alia plurima. Sic, ut res in dithyrambis obvias et fortasse data occasione memoratas omittam solisque in titulis subsistam: quid Meleagro, quid Achilli, quid Marsyae, quid Danaidibus cum Dionyso intercessisse commercii dicas? Aut si quis fortasse in illis quoque historiis Bacchicae cognationis, duce Schmidtio, deprehendisse sibi videatur vestigia: quae sane perquam tenuia sunt et e longinquo arcessita: quid fiet Nauplio, Laërtae, Phinidis, quid Argo et Aesculapio, quid caeteris fabulis, quae licet nomina fecerint dithyrambis, a Dionysiacis tamen rebus remotissimae sunt? Ut brevi praecidam: qui solas in dithyrambo Bacchicas historias aucupantur, negotia sibi facessunt ipsi, dumque recta via legitimis ducibus procedere nolunt, ludibrio fiunt pictoribus vasorum et mythographis per inexplicabiles ambages circumducentibus Daedalei cuiusdam operis, unde non cuivis, ut olim Theseo, exitum monstratura sit Ariadna. Plutarchus certe ne verbum

quidem de ista nescio qua Bacchica cognatione: in qua et indaganda et dithyrambis applicanda illi tantopere desudant. Illius igitur verba religiosius spectanda arbitrati alii in eam pervenerunt sententiam, ut oblitterato quovis originis suae indicio dithyrambum novam induisse formam existimarent, cuius proprium esset omne genus heroici argumenti. Atque hos dithyrambos sublato fabularum discrimine liberrimos in usum venisse dicunt a Lasi inde atque Simonidis Pindarique temporibus. Auctores novi huius carminis extiterunt Ludolphus Dissenius⁶⁷⁾ et Odofredus Muellerus⁶⁸⁾, quos certatim secuti sunt plurimi, veluti L. A. Bergleinius⁶⁹⁾, G. Bippartus⁷⁰⁾, mutataque sententia Schneidevinus⁷¹⁾. Neque multum discedunt F. Th. Welckerus et I. A. Hartungius, quamquam aliquanto illi in dicenda sententia cautiores, si quidem de aliis simpliciter praeter Dionysiacas fabulis loquuntur.⁷²⁾ Et prudenter illi quidem. Nam universam molem heroicæ historiae offusam fuisse dithyrambo prorsus incredibile est secundum ea, quae supra animadvertimus de legibus Graecæ poësis, quae quamvis in magna generum confusione, inferioris aetatis propria, eiusmodi uno in carmine colluviem omni tempore videtur respuisse. Quoniam tamen neuter quodnam intellegi vellet aliud fabularum genus aperuit, quae nos hic in loco Plutarcho tenet dubitatio, non sublata est, sed urget relicta. Ea autem ut esse desinat, aliam omnino patet opus esse quaerendi rationem, a Schmidii libidine pariter atque a Dissenii aliorumque liberalitate diversam, quae nec a praeiudicatis quibusdam opinionibus nec a vagis distinctionibus, sed ab accurato fabularum dithyrambis tractatarum examine proficiscatur. Institui eam quaestionem, nec poenitet institutae. Primum enim poëtas ipsos recensui, quorum quidem aut tituli aut argumenta superessent dithyramborum, deinde fabulas et titulis et argumentis subiectas ex ipsis fontibus haustas contuli earumque quae genuina forma videretur indagavi, denique de rei tractandae arte quantum probabiliter colligi posset, quaesivi. Atque videtur eius disputationis duplex hic fructus fuisse, ut et antiquarum fabularum variationes a dithyramborum scriptoribus profectas communibus quibusdam indiciis deprehenderem, et leges aliquot in fabularum delectu observatas reperirem, quarum ope argumenta dithyramborum cum caetera tum Plutarcho ad recensum quendam vocari liceret, non simplicem magis, quam ipsi carminum ingenio congruentem. Quoniam autem quae ea de re chartae mandavi fines huic proluendi muneri concessos egrediuntur itaque pertexta pleraque sunt, ut divelli singula a

⁶⁷⁾ ad Pind. Fragm. p. 624 sq.

⁶⁸⁾ ap. Dissen. l. I. iterumque HLG. Tom. II. p. 30. ed. I.

⁶⁹⁾ De Philoxeno caet. p. 32.

⁷⁰⁾ Phil. Tim. Telest. reliqq. pp. 62. 96 coll. 8.

⁷¹⁾ locis supra XVI laudatis.

⁷²⁾ WELCKERUS Addit. p. 244: „Dionysische

und andre Mythen;“ similiterque Tr. Gr. p. 1293: „Wie nun dieser Dithyramb auch andre als Dionysische Mythen aufgenommen hat, so“ etc. Atque ita etiam HARTUNGIUS Poët. Lyr. Gr. Tom. IV. p. 204: „Dass bereits auch andere Stoffe den Dionysosmythen substituirt wurden, ist aus vielem zu erkennen.“

singulis sine totius quaestionis detrimento non possint: illa quidem aliam expectent prodeundi in publicum opportunitatem. Interim qui nunc prodit illius opellae tanquam praenuncius quidam libellus, hoc, si nihil aliud, illud certe effectum puto, ut et remota vulgari dithyrambi tractandi ratione et constituto exemplisque probato primarii Bacchici carminis genere via quodammodo munita videatur ad persequenda reliqua.

Scribeb. Lignicii Silesiorum ipsis Calendis Martiis a. h. s. LXII.

